Universitätsbibliothek Paderborn

Annus Cisterciensis

In quo Pia, Et Brevi Apostrophe proponuntur Veneranda, & Imitanda Gesta præcipua, & eximiæ Virtutes Sanctorum ac Beatorum utriusque sexûs Ejusdem Sacri, Et Ab Origine Sua Exempti Ordinis

Meglinger, Joseph

[S.l.], Anno MDCLXXXIII.

27. Julij. 6. Cal. Augusti.

urn:nbn:de:hbz:466:1-45314

Visual Library

27. *Julij.* 6. *Cal. Auguſti.*

B. ÆGIDI, Converſe Villarii: qui ad laboris refrigerium, &, quam DEUS in hac vita ſæpe largitur, pietatis mercedem, donatus es gratiâ contemplationis rerum cœleſtium. Hæc divina lux è corde tuo velut ſtella promicabat: ex cujus ſplendore facile erat reliquas virtutum dotes conjicere: non enim niſi in humili, puro, ac DEUM ardenter amante animo Spiritus ille dator munerum inhabitare conſuevit. *Circa annum 1300.*

Amor DEI.

Doce me hæc terrena ſic in uſum et contemplationem admittere, ut ex ijs Creatoris bonitatem & potentiam agnoſcam, mihíque ſint ſtimulus, ad eundem totis viribus amandum & laudandum.

B. CHRISTIANE, monaſterii de Eleemoſyna Converſe: qui flebilem hujus mundi ſcenam in prima adhuc adoleſcentia non juveniliter conſiderans, cùm omne ſcelerum genus inſtar malignæ contagionis graſſari, ac innumeros quotidie in perniciem præcipitare videres; ne & te hæc peſtis afflaret, ad eremum confugiſti. Hîc non ſolùm à vitioſo, ſed etiam à communi hominum vivendi modo abiiſti. Alimentum dabat pauxillum panis, *Floruit anno 1145.*

Rigor vitæ,

cum potu, quem rivulus præterfluens propinabat. Corpus flagellis penè diſcerptum aſperrimâ hieme collotenus aquis immergebas, ut ſic more fabrorum, candentem calybem frigidâ indurantium, ad omnis doloris patientiam illud quodammodo ferreum redderes. Licèt autem ſat roboris contra hoſtes ab his armis ſperare potueris; plus tamen ſecuritatis promiſit obedientiæ præſidium. Relicta igitur ſolitudine, vitæ cœnobiticæ in Eleemoſyna te addixiſti: tanto ſtatim ſanctitatis augmento, ut revelationes quotidianæ, & prodigia nominis tui famam ad S. Raynaldum, communem Ordinis Patrem, perduxerit. Qui cùm te Ciſtercium vocâſſet, in medio itinere vidiſti ſubitò cœlos aperiri; ibi geminus pſallentium chorus cernebatur: inferiorem monachi Ciſtercienſes impleverant; in altiori cum Angelis cantabat Raynaldus, Abbatiali quidem veſte ornatus, ſed ſupra Angelicum fulgorem radiante. Satiato ad votum, colloquiis tuis beato Patre, tuis reſtitutus, ad ultima bella provocatus es ab hoſte humani generis: ſed hujus fanatica terriculamenta, larvarúmque geſticulationes, acri corporis diverberatione, aut, cùm id pugnæ genus non placuit, ſolâ

ſupra humanas vires.

Ad Obedientiam aſpirat

Ciſtercium glorioſum aſpicit in revelatione.

Fugat larvas dæmonis.

ſolâ mentis in DEUM elevatione abegiſti. His victoriis ne deeſſet laurea, feliciter occumbenti, coronam cœlum dedit. *Severus ille tuus vivendi rigor diſertè exponit mirabile Chriſti paradoxum, pro lucro vitæ melioris, hanc fluxam perdere ſuadentis. Incipe tandem, ô anima mea, averſari amorem carnei domicilij tui, ex amoris hujus aut odij prudentia, tota, ſed longè diverſiſſima, pendet æternitas.* Deſiderium vitæ æternæ.

S. BERNARDUS, de dil. Deo. c. 11.

Tempus hoc animabus, non corporibus, eſt aſſignatum: dies ſalutis utiq;, non voluptatis. Omnia tempus habent. [*Eccl. 3.*] *Animabus nunc operam dare neceſſè eſt: nam in carne qui ſeminat, ſolam exinde metet corruptionem.* Animæ nunc, nō corpori cōſulendum.

18. *Julij. 5. Cal. Auguſti.*

B. HENRICE, totius Ordinis Ciſterciensis Supreme Parens, in Generalium ſerie XXXI. Jojacenſi monaſterio antè præfueras, eâ prudentiâ, quam Patres Ordinis parem eſſe cenſuerunt, ſuſtentando oneri regiminis *Obijt anno 1315.*

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN